




# BOLETÍN DEL CLERO DEI. OBISPADO DE LEON

Con el fin de asistir al próximo Congreso católico, que ha de celebrarse en Burgos, ha regresado de la Santa Pastoral Visita nuestro Excmo. Prelado.



DE CVLTV

SACRATISSIMI CORDIS IESV

AMPLIFICANDO

SACRAE RITVVM CONGREGATIONIS

LITTERAE

*Rme. Domine*

Etsi gratum semper mihi fuit officium communicandi cum Ecclesiae Praesulibus ea, quae supremus eiusdem Pastor illis significanda praescripserit; gratissimum modo accidit patefacere singulis Sacrorum Antistibus suavissimam animi voluptatem, quam SSms D. N. Leo PP. XIII percepit ex promulgatione novissimae suae Epistolae Encyclicae, qua universum humanum genus Sacratissimo Cordi D. N. Iesu Christi solemniter devovendi auctor fuit. Novit enim quanta animi propensione, quo consensu voluntatum fuerint eae litterae ab omnibus tum pastoribus tum fidelium gregibus receptae, et quam prompte ac studiose fuerit illis ubique obsecundatum.



Ipsemet san<sup>a</sup> Summus Pontifex cunctis exemp'o praeivit, et ad suas Vaticanas Aedes, in sacello, cui a Paulo V nomen est, instititâ per Ipsum supplicatione, universum terrarum orbem d'vino I-su Cordi obtulit et devovit. Cuius exemplum secutus romanus populus, magna frequentâ convenit in Patriarchales et minores Basilicas, in templa quaelibet curialia, in aedes sacras prope singulas; ubique solemnem consecrationis formulam iteravit, unoque veluti ore confirmavit.

Protinus allatae sunt undique litterae, et quotidie afferuntur, nuntiantes, eundem consecrationis ritum, pari studio ac pietate, peractum fuisse in unaquaque dioecesi, imo in singulis ferme ecclesiis; neque Italiae solum et Europae, sed et regionum maxime dissitarum. Cuius universi catholici populi consensus in obsecundando votis et voluntati supremi omnium Patris, profecto laus maxime debetur sacris Praesulibus, qui suis gregibus eiusmodi in re auctores fuerunt ac duces. Quapropter, Summi Pontificis obsequens desiderio, Tibi et singulis, qui tuae subiacent potestati, animarum regimen gerentibus, Eius nomine, magnopere gratulor et gratias ago.

Siquidem, ut in iisdem encyclicis litteris BEATISSIMVS PATER edicit, uberes iucundissimosque fructus, nedum in singulos christifideles, verum et in universam christianam familiam, imo et in omne genus hominum, ex hac solemni oblatione derivaturos confidit, et nos cum Eo confilimus. Omnes enim intime persentiant quam necessarium sit, ut languescens nimium fides vividius excitetur; ut sinceræ caritatis ardor ignescat; ut exsultantibus nimium cupiditatibus frena iniiciantur, moribusque in dies contabescentibus medicaminis nonnihil affratur. Omnium in votis esse debet, ut humana societas suavissimo Christi imperio subiiciatur, Fiusque regium ius, divinitus Ei in omnes gentes collatum, civiles etiam potestates cognoscant, et reverentur; quo fiat ut Ecclesia Christi, quæ regnum Ipsius est, magis magisque amplificetur et ea perfruatur libertate et quiete, quæ ad novos usque triumphos comparandos prorsus est ei necessaria. Ad hoc denique ab omnibus evitandum est, ut innumeras gravissimasque iniurias, quæ quotidie, in universo orbe, divinæ maiestati ab ingratis hominibus inferantur, compensare piis operibus ac reparare studeamus.



Verum ut concepta spes novas in dies vires acquirat, ac bonum eiusmodi semen affluenter germinet, uberiolemque afferat messem, necesse est ut iam excitata pietas erga sacratissimum divini Redemptoris Cor stabiis perseveret, immo abatur indies inter. Constans enim perseverantia in peccatis quibusdam, ut sic loquar, vim affert dulcissimo Iesu Cori, ut eorum recudat fontes gratiarum, quas Ipsi mei cupidissime elargiri desiderat, quemadmodum B. Margaretae Alacoque, amantissimae suae, significavit non semel.

Quamobrem Summus Pontifex, me usus suae voluntatis interprete, Amplitudinem Tuam et universi catholici orbis sacerorum Antistites vehementer hortatur, ut, coeptis alacres insistentes, ea excogitent et constituent, quae, pro varia locorum ac temporum conditione, ad optatum finem assequendum magis conducibilia videantur.

Ipse vero BEATISSIMVS PATER commendat quam maxime eum morem, qui iam in pluribus ecclesiis obtinuit, ut per integrum mensem Iunium varia pietatis obsequia divino Cordi publice praestentur quod ut libentius perficiatur, thesauros Ecclesiae reserans, trecentorum dierum indulgentiam christifidelibus impertit, toties lucram iam quoties sacris eiusmodi exercitiis interfuerint; plenariam vero iis qui saltem decem in mense vicibus idipsum praestiterint.

Magnopere etiam in votis habet SANCTISSIMVS DOMINVS, ut praxis, alte commendata, ac pluribus iam in locis usurpata, qua, prima qualibet sexta feria cuiusvis mensis nonnulla obsequia peraguntur in honorem sanctissimi Cordis, largius assidue propagetur: recitatis publice Litanis, quas nuper Ipse probavit. et iterata consecrationis formula a se proposita. Quae praxis si in christiano populo augetur, et quasi in morem transeat, iugis erit et frequens affirmatio divini illius et regii iuris, quod Christus in omne humanum genus a Patre accepit, et effuso sanguine acquisivit. Quibus obsequiis ipse lenitus, utpote qui dives est in misericordia, mireque propensus ad homines beneficiis cumulandos, et eorum nequitiae obliviscetur et ipsos nedum ut fideles subditos, verum ut amicos et filios carissimos amplectetur.

Praeterea BEATISSIMVS PATER vehementer exoptat ut adolescentes, ii maxime qui litteris scientiisque dant operam, in eas



sociales congregentur, quae pii *coetus* vel *sodalitia* a *Sacro Iesu Corde* nuncupantur. Constant nimirum ex illo delectorum adolescentium agmine, qui, dato sponte nomine, statutâ per hebdomadam die et hora, in aediculas aut templa, aut ipsorum litterariorum ludorum sacella conveniunt, ibique, alicuius sacerdotis ductu, pia quaedam in honorem sacri Cordis Iesu exercitia devote peragunt. Si gratum acceptumque divino Redemptori pium quo Ivis accidit obsequium, quod ipsi a suis fidelibus exhibeatur, iucundissimum profecto illud est, quod e iuvenili pectore elicitur. Nec vero sermone assequi possumus quantopere id ipsum iuvenili eidem aetati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis, contemplatio, et penitior virtutum eius et ineffabilis amoris cognitio nequit fervescens iuvenum cupiditates non frangere, et virtuti sectandae stimulos non adicere. — Qui pariter coetus iniri ac frequentari poterunt inter adultos, in iis quae, varii generis, *Societates catholicae* nuncupantur.

Ceterum piae eiusmodi exercitationes, quas memoravimus, nullimode a Sanctissimo Patre indicuntur; sed omnia Ipse episcoporum prudentiae et sagacitati permittit, in quorum studiosa propensissimaque voluntate plane confidit: illud unice exoptans, ut in populis christianis pietas erga sacratissimum Cor Domini Iesu indesinenter floreat et virescat.

Interim Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Amplitudinis Tuae uti Frater

Romae, ex Secretaria SS. Rituum Congregationis  
die XXI Iulii, anno MDCCCLXXXIX.

C. EPISCOPVS PRAENESTINVS CARD. MAZZELLA  
S. R. C. Praefectus.

D. PACINI S. R. C. Secretarius.



Decreto aprobando el Instituto de Religiosas  
de María Inmaculada para el servicio doméstico

Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia Papa  
XIII. Aprili mense anni 1888, amplissimo laudis testimonio



cohonestare dignatus est Institutum Sororum Mariae Inmaculatae pro servitio domestico nuncupatum, quod tribus circiter et virginti abhinc annis Matrili in Hispania fundatum fuit. Finis sive scopus, quem sibi proponunt laudatae Sorores, in eo est, ut ipsae primum quidem propriae cujusque sanctificationi, uti par est, consulant, tum vero enixe incumbant instituendis, a corruptelarum illecebris defendendis tuendisque puellis seu mulieribus, quae ad famulandum in privatis domibus, premente inopia adiguntur.

Cunctae autem communi utuntur habitu et victu sub regimine Moderatricis Generalis, et, expleto Novitiatu, tria vota paupertatis, obedientiae et castitatis, prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Porro quam merito et quam bolis auspiciis praefatum laudis testimonium impertitum fuerit, eventus ispe luculentissime comprobavit. Non mediocriter enim auctus subinde est Sororum numerus, et, quod jucundius est, mirifice excrevit ubertas fructuum, qui ex earumdem Sororum operibus, ad Dei gloriam atque animarum salutem jugiter obvernerunt. Hinc etiam factum est ut non solum quinque Sacrorum Antistites, qui in suis Dioecesibus Instituti domus se habere laetantur; sed etiam alii complures, inter quos Eminentissimi ac Reverendissimi S. R. C. Cardinales DD. Cyriacus Maria Sancha y Hervás, Archiepiscopus Valentinus, Antonius Maria Cascajares y Azara, Archiepiscopus Vallisoletanus, et Salvator Casañas y Pagés, Episcopus Urgellensis, datis ultro litteris enuntiatas Sorores summopere commendare non dubitarint diserte edicentes ipsas potioribus Apostolica Sedis favoribus plane dignas esse maximamque affulgere spem fore ut istiusmodi favores tum optatissimo Instituti incremento, tum etiam religioni rei que publicae feliciter benevertant.

Itaque quum nuper Moderatrix Generalis Eidem Sanctissimo Domino Nostro humillime supplicaverit ut Institutum ejusque constitutiones, quarum exemplar transmisit, benigne approbare dignaretur, Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque praesertim commendatitiis litteris praefatorum Antistitum, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 9 hujus mensis recensitum Institutum uti Congregationem votorum simplicium sub



regimine Moderatricis Generalis, salva Ordinariorum jurisdictione ad formam Sacrorum Canonum et Apostolicarum Constitutionum, approbavit et confirmavit, prout praesentis Decreti tenore approbatur et confirmatur; dilata ad opportunius tempus approbatione Constitutionum, circa quas interim nonnullas animadversiones communicari mandavit.

Datum Romae, ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, die 13 Januarii 1899.

† S. CARD. VANNUTELLI, *Praef.*

### Traducción del Decreto precedente

Nuestro Santísimo Padre León, por la Divina Providencia Papa XIII, en el mes de Abril del año 1888, se dignó honrar con un testimonio amplísimo de alabanza el Instituto llamado de Hermanas de María Inmaculada, para el servicio doméstico, que fué fundado en Madrid, España, cerca de veintitres años antes. El fin ó blanco que se proponen las dichas Hermanas consiste en procurar ellas, en primer lugar, su propia santificación, según conviene, y en procurar con todas sus fuerzas formar, proteger y librar de los lazos de la corrupción á las jóvenes ó mujeres que se ven obligadas por falta de recursos en casas particulares.

Todas usan el mismo hábito y se sustentan del mismo alimento, bajo el régimen de la Superiora general, y cumplido su noviciado hacen los tres votos simples de pobreza, obediencia y castidad, primero por cierto tiempo, después perpetuos. Con cuánta razón y buenos auspicios se haya dado el mencionado testimonio de alabanza, lo ha comprobado con toda evidencia el feliz éxito. Desde entonces ha crecido, y no poco, el número de Hermanas; y lo que es más consolador aún ha crecido también admirablemente la abundancia de los frutos que con los trabajos de las mismas se han alcanzado, para mayor gloria de Dios y salvación de las almas.

De aquí el que, no sólo los cinco venerables Obispos que se glorían de tener casas del Instituto en sus Diócesis, sino también otros muchos, entre los cuales el Excmo. y Rvmo. Cardenal de la Santa Iglesia Romana, Doctor Don Ciriaco Sancha y Hervas, Arzobispo de Valencia; Antonio María Cascajares y Azara, Arzobispo de Valladolid, y Salvador Cassañas y Pagés, Obispo de Urgel, en letras anteriores no dudaron recomendar sobremanera á las dichas Hermanas, asegurando con toda certeza que manifiestamente eran dignas de mayores favores de la Sede Apostólica,



y que había fundada esperanza de que estos favores servirían no solo para el tan deseado aumento del Instituto, sino también para la prosperidad de la Religión y del Estado.

Y como poco ha la Superiora general ha suplicado humildemente al mismo Santísimo Padre se digne aprobar benignamente el Instituto y las Constituciones del mismo, de las cuales remitió un ejemplar, Su Santidad, miradas bien todas las cosas, y atendiendo principalmente las letras comendaticias de los dichos Prelados, en la audiencia tenida ante el infrascrito Cardenal Prefecto de la Sagrada Congregación de Obispos y Regulares, el día 9 de este mes, *aprobó y confirmó* el referido Instituto como Congregación de votos simples, bajo el gobierno de la Superiora general, salvo la jurisdicción del Ordinario, según la forma de los sagrados Cánones y Constituciones Apostólicas, según por el tenor del presente Decreto se aprueba y confirma: dilatando para tiempo más oportuno la aprobación de las Constituciones, acerca de las cuales mandó comunicar algunas advertencias.

Dado en Roma, en la Secretaría de la mencionada Congregación de Obispos y Regulares, el día 13 de Enero de 1899.

† S. CARDENAL VANNUTELLI, *Prefecto*.

---

## COLLATIONES MORALES PRO MENSE SEPTEMBRIS

---

### 1.<sup>a</sup>

Quot numerentur peccata capitalia et quare capitalia dicantur = quid est superbia et quotuplex = quid avaritia et quibus virtutibus opponatur. = Quando nam constituent peccatum mortale. = Fines et remedia utriusque.

### *Casus.*

Lucas, vir dives sed avarus famulis misserrime alimenta praebet et laboribus obruit donec vires deficient quapropter plurimi in varios languores et infirmitates decidere; Lucas vero de hujusmodi sua duritie coram filiis saepius gloriatur omnia esse licita ut splendor domus in dies augeatur et famulos nullius esse benignitatis dignos effutiendo. Quomodo peccat Lucas in praedictis?

### *Quaestio liturgica.*

In decreto de Missis defunctorum 30 Junii 1896 quomodo intelligi debet verbum *solemniter*?

### 2.<sup>a</sup>

Quid sit invidia = quid ira. = Quando constituent peccatum mortale = quid iracundia. = Fines et remedia irae et invidiae.



*Casus.*

Antonius monachus cum Antero sodali disputans tristatur de illius scientia et ira correptus prosequitur illum conviciis; cum autem postea Anterus vitae sanctimonia claresceret, Antonius etiam aemulatur ejusmodi sanctitatem et dolet de alterius electione in abbatem ne forte vindictam sumat de praeteritis opprobis

Quomodo peccet Antonius in casu?

*Quaestio liturgica.*

Quot orationes dici debeant ex praedicto decreto in Missis defunctorum, ministris sacris assistentibus?

3.<sup>a</sup>

Quid sit acedia—an constituat aliquando mortale peccatum.  
—Quid gula—quandonam sit grave—filiae acediae et gulae.

*Casus.*

Calixtus vir honestus divitiis affluens magnam capit delectationem ex convivis amicorum in quibus pius aeque indulget quantitati et qualitati cibi; ex quibus saepius iteratis factum est ut aliquam molestiam et dolorem coicum patiatur; quinimo paulatim deserens pietatis officia in omnibus spiritualibus taedium sentit ita ut de propria salute desperare incipiat?

Quomodo peccat Calixtus?

*Quaestio liturgica.*

Quis et germinus sensus supradicti decreti circa orationes et sequentiam in Missis de Requiem?

4.<sup>a</sup>

Quid ebrietas—an sit semper mortale—an ebrietas possit intendi aliquando—an possit aliquando permitti—an mala in ebrietate patrata sint imputabilia.

*Casus.*

Petrus, cum obviam ei occurreret Joannes qui illi mostem multoties minatus fuerat, sciens Joannem pronus in ebrietatem esse vinum obtulit ut a pravo proposito dimoveret; Joannes laetus accipit donum et bibit et bibere cogit Petro qui praetimore renuere non audeat, unde ambo a vino capti sunt; Joannes postea, sicut mos illi erat, in blasphemias erumpit; Petrus vero memor praeteritae injuriae Joannem occidit.

Quomodo peccaverit Joannes, quomodo Petrus.

*Quaestio liturgica.*

Privilegium circa Missas lectas de *Requiem* ex decreto Ancto concessum sacellis sepulcreti favetne sive Ecclesiae vel oratorio publico ac principali ipsius sepulcreti, sive aliis ecclesiis vel capellis extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam aliquod cadaver quiescit?